VITAE SANCTORUM
Österreich, 2. Hälfte 12. Jh.
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26030
Copyright: Admont, Benediktinerstift



prestare dignat. & tunc potius clementer exaudit. cum uota nostra ignorantie nocte
uelata non proficiunt. Quidam denique iuuenis Siluanus nomine de scena conuersus.
ad sanctum Pachumium uenit. uolens in eius monasterio commorari. Qui cum susceptus esset.
infectus peruersa consuetudine seculi. nullis disciplinae regulis poterat coerceri. salu
temque propriam negligens. suis uanitatibus pristinis atque regulis occupabatur. a deo ut non
nullos ex fratribus euerteret. & ad studium simile commoueret. Quod plurimi non ferentes.
sancto Pachumio suggerunt. ut eum de monasterio pelli perciperet. Ad quam rem non eis
annuit. sed equanimiter ferens. admonuit prefatum ut se corrigeret. & ab antiqua conuer
satione se reuocaret. Per quod etiam dominum iugiter exorabat. ut ei compunctionem cordis solita
pietatis habundantia largiretur. Cumque memoratus iuuenis in propria persisteret pra
uitate. & aliis exemplum perditionis ostenderet. ad postremum uisum est omnibus ut
a sancta congregatione uelut indignissimus arceretur. Sed beatus Pachumius hoc idem
credidit differendum. eum etiam mitissima atque sapientissima correptione conue
niens. & celestibus erudiens institutis. ita diuino timore succendit. & sic
anima eius futurorum fide compuncta est. ut se deinceps a lacrimis abstinere non posset.
Commendatus itaque per omnia. magnum ceteris documentum conuersationis exhibuit. In omni
namque loco & in omni operatione flebat iugiter. & ne tamen quidem cum cibum inter fratres cape
ret a lamentatione cessabat. Que res etiam permouit multos ex monachis. qui &
dixerunt ei. Tandem te a planctu cohibe. nec tanta quas afflictione deficias. Qui
respondit. Conor quidem sicut iubetis a lacrimis temperari. nec possum. Pectus enim
meum ueluti quedam flamma comburens. quietum me esse non sinit. Rursum ipsi dixerunt.
Apud te in secreto tuo uel certe in orationibus plangito. cum uero conuenimus ad men
sam cibum sumere debes a fletibus abstinere. nam possibile est animam & sine istis
exterioribus lacrimis semper in compunctione persistere. quia plures e fratribus uidentes te flen
tem manducare non possunt. Et cogebant eum fateri. cur ita se suis dilueret fle
tibus. Tunc ait ad eos. Non uultis ut plangam. cum uideam me foueri multis obsequiis
sanctorum fratrum. quorum & puluis pedum mihi uenerandus est. nec eis conferre me dignum
prorsus existimo. Nego plangam. quod homo de scena multis peccatis ob
noxius. tanta officia percipiam. Timeo ualde ne sicut dathan & abiron. me